



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Unus Pro Omnibus, Hoc est: Christus Jesus Dei Filius

Ginther, Anton

Augustæ Vindellicorum, 1733

VD18 12431648

Consideratio CLVI. Sacrificium aræ crucis idem est cum sacrificio altaris,
non tantùm in repræsentando, sed etiam in essendo.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45934](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-45934)



CONSIDERATIO CLVI.

Sacrificium aræ crucis idem est cum Sacrificio altaris, non tantum in representando, sed etiam in essendo.

In hoc divino Sacrificio incruentè immolatur, qui in ara crucis semel seipsum cruentè obtulit. Concil. Trident. Sess. 22. c. 2.

I.

Diversa quondam DEO T. O. M. offerebantur sacrificia, quæ ad septem species possunt reduci. 1. Offerebatur *holocaustum*, quod erat summum, ac maximè magnificum, prout fecerunt David Rex, & Salomon filius in festo Dedicationis templi. 2. Erat sacrificium *pacificum*, quod offerebatur tempore belli pro victoria obtinenda, aut pace stabilienda. 3. Erat *propitiatorium* tempore pestis, aut famis, aut pro aliis communitatis calamitatibus, ut DEum placaret, oblatum. 4. Erat *Pontificale* pro peccatis Sacerdotum. 5. *Regale* pro delictis Regum ac Principum. 6. *Commune* pro peccatis totius populi in Israel immolatum. 7. *Particulare*, quod quilibet pro se in particulari poterat offerre.

2. Reg. 24. 25.
3. Reg. 8. 63.

Hebr. 9. 22.

Observa, per omnia ista Sacrificia legalia præfiguratus fuit Christus JESUS & hic Crucifixus, ac Eucharisticus: illa Sacrificia debebant peragi in animali mundo, cujus sanguis necessariò debebat effundi, quia sine sanguine non fiebat remissio, ac placatio: O felices nos, ait Antonius de Guevarra, olim offerebant sanguinem animalium, nos modo ipsum sanguinem Filii Dei vivi, ipse enim est holocaustum, sacrificium pacificum, & propitiatorium nostrum &c. Per quem omnia sacrificia legalia consummata sunt. Quod ad Sacrificium crucis attinet in monte uno celebratum, & trium horarum spatio perfectum fuit; de hoc autem nostro incruento juxta prophetiam Malachiæ in omnibus mundi partibus & oris DEO offertur! *Ab ortu usque ad occasum magnum est nomen meum in gentibus, & in omni*

Malach. 1. 11.

omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda. Ecce quid sit JESUS & hic Crucifixus!

2. Olim Pontifex Aaronicus ingressurus in Sancta Sanctorum hircum pro peccatis populi, & vitulum pro suis delictis immolabat, eorumque sanguinem inferens in Sancta Sanctorum illo Sancta aspergebat, & expiabat, Levit. 16.; Christus verò non hircorum, sed proprio Sanguine Ecclesiam expians, ingressus est in Sancta, quia in cruce quasi Pontifex totius mundi obtulit se pro toto mundo in Sacrificium, omniumque peccata luit, & expiavit: *Per proprium sanguinem introivit semel in Sancta, aeterna redemptione inventa.* O quam pretiosa erat ista redemptio, quia non erat temporaria, vel annua, sed aeterna, dum nullo tempore deficiet, aut minuetur, sed durabit in aeternum, vimque suam exeret in omnia saecula, ut peccata omnium saeculorum expiet & expurget. O JESU! ô Amor Crucifixæ! quantum tibi obligatus est mundus universus, & omnis creatura simul; & tu singulariter in individuo, qui ista legis; recogitans cum S. Paulo: *In fide vivo Filii Dei, qui dilexit me, & tradidit semetipsum pro me;* Gal. 2. 26. Supra quod S. Bernhardus: *Tradidit, inquit, semetipsum pro me, quia eadem charitate, quâ mortuus est pro omnibus, mortuus est pro singulis.* Ergo etiam pro te, & pro me? Ah nos felices, si ista dignè consideramus! Et Crucifixum JESUM ex tota cordis latitudine amamus!

3. Hanc veritatem in spiritu præcognovit Vates Jessæus, idè sapius meminit, DEO offerendum esse justitiæ Sacrificium: *Sacrificate sacrificium justitiæ, & sperate in Domino.* Dices, & quod hoc est sacrificium justitiæ? R. Le Blanc: Sacrificium justitiæ est, quod Christus obtulit in cruce; est enim ipse justitia nostra, & obtulit illud sacrificium, quod satisfecit ad æqualitatem, imò superabundantiam; est enim infiniti valoris, & si mundus & homines per totam aeternitatem durarent, ut nunc, pro omnibus sufficiens pretium obtulit. *Idem autem sacrificium, pergit idem, sacrificamus in Eucharistia, qua est idem cum sacrificio crucis, ab eo solo differens, quòd unum est incruentum, alterum cruentum;* Hinc optimè S. Thomas Angelicus: *Sacrificium, inquit, quod quotidie in Ecclesia offertur, non est aliud, quàm quod ipse Christus obtulit;* Et S. Augustinus: *Sacerdos ipse Christus offerens, ipse & oblatio: cujus rei Sacramentum quotidianum esse voluit Ecclēsia sacrificium.*

Dixi SS. Eucharistiam esse justitiæ Sacrificium, quia continet Christum omnis justitiæ fontem, quia non debet percipi nisi à justis, est enim Sacramentum vivorum; & quia auget justitiam bene dispositorum, unde DEUS Pater illud suscipit in odorem suavitatis à Noè justo, id est Christo oblatum, quod prævidit rursus Vates Regius: *Tunc accipietis*

Psal. 50. 21. *tabis sacrificium iustitia, oblationes & holocausta.* Tunc in cruce oblatum, & quotidie in SS. Missæ Sacrificio, quia in utroque, si nos verè applicamus, est nobis Hostia justificans.

Ecclesia in Offic. 4. Oportet autem, ut ad hoc Sacratissimum mysterium & convivium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis ejus, mens repletur gratiâ & futura gloria nobis pignus datur, non sine singulari Passionis Christi memoria accedamus: Surge, dicebat quondam Angelus ad Eliam Prophetam longo itinere fatigatum, & sub umbra juniperi quiescentem: *Surge, comede, grandis tibi restat via.*

S. Bernhard. e. 2. lectm. 54 Adverte hic singulare mysterium: Elias sub umbrâ juniperi dormiebat, quæ erat figura Crucis, unde S. Bernhardinus: *Sub umbra juniperi dormit, qui in fide Dominica Passionis requiescit.* Elias lassus & fessus pane subcinericio refectus, & mirum in modum confortatus est; Panis hic Angelicis manibus præparatus erat pulcherrimus typus SS. Eucharistiæ. Elias in fortitudine cibi illius sine alio alimento ambulavit quadraginta diebus ac noctibus, donec pervenerit ad montem Dei Horeb; Disce hic SS. Eucharistiam sumere cum memoria mortis & desiderio cœli, in cujus fortitudine ambulabis usque ad montem Dei Horeb, ubi videbimus Deum deorum in Sion.

Gen. 18. 4. 5. Abraham tres Angelos in ipso fervore diei hospitio & juxta quercum Mambre convivio excepit: *Requiescite sub arbore: ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum.* Et observat ulterius Scriptura, quodd, ubi erant parata omnia ad convivium, Abraham tanquam ministrans, & incitans hospites suos ad bene prandendum sub arbore iterit: *Ipsè verò stabat juxta eos sub arbore.*

Gen. 17. 18. 35 Adverte Lector prudens, etiam sub hac umbra non leve latere mysterium. Subter illam quercum, quæ in loco Mambre erat sacra, DEUS fœdus cum Abraham pepigit universo generi humano salutare, circumcisio indicta, promissiones divinæ Sobolis factæ; Isaac ipsi & Saræ conjugii annuntiat; Dominus peregrini habitu visus; Angeli hospitio excepti: Ut omnium fermè arcanorum glandifera hæc quercus conscia, testis, & veluti à secretis extiterit; proinde existimat Alphonsus Ciaconius, & plures cum illo, crucem Dominicam ex quercu esse fabricatam, quod etiam nunc patet ex sacris ejus particulis ac segmentis, ex quibus deprehendes non esse aquam aquæ, aut ovum ovo similiora, quàm ea inter sese sint. Habemus nos hic Biberbachii similem Dominicæ crucis particulam Majorum testimonio approbatam, ubi, si lubet, Benevolus Lector experientiam poterit capessere.

Gen. 18. 4. 6. Verum adhuc aliud sub illis Abrahami verbis, & convivio sub umbrâ quercûs instituto, latet mysterium: *Requiescite sub umbra, ponam.*

ponamque buccellam panis, & confortate cor vestrum. Novarinus pulcherrimè de Sacrificio Crucis & altaris hoc applicat, unde ait: *Sub arbore Crucis requiesce Eucharistia panem comesturus; & erit hic fructus dulcis gutturi tuo.* Ecce quomodo devote SS. Eucharistia sumenda sit, vel Missa audienda, nimirum cum memoria crucis & Passionis Dominicæ.

Et adhuc dubitas? Accedat Doctor Gentium Paulus, hic, ut suos Corinthios neophytos ad peculiarem animaret devotionem, quomodo ad sacram Eucharisticam mensam deberent accedere, illis hunc præscripsit modum: *Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibatis, I. Cor. II. 26. mortem Domini annuntiabitis, donec veniat.* Et qualis, obsecro, ille modus, subintrat hic Cluniacensis: *Quare mortem Domini? Cur non Incarnationem, nativitatem, resurrectionem, vel ascensionem Domini? Ut ostenderet, inquit, istud opus ejus præponderare omnibus operibus ejus,* unde ipse Dominus dixit, quando hoc divinissimum Sacramentum instituit, in quo divitias divini sui erga homines amoris velut effudit: *Hæc quoties- Matth. 26. & cunqne se eritis, in mei memoriam facietis, quia nullum tanti beneficii cer- Luc. 22. tius mnemofynon, quàm quòd ipse reliquit, dum sacrosanctum Sacri- ficium instituit, ut suæ pro salute nostra susceptæ Passionis perpetuum haberemus Memoriale. Olim cum lactucis agrestibus debebant mandu- Exod. 12. 8. care Agnum Paschalem; lactucæ agrestes sunt valde amaræ; & quis est, rogat Kempensis, qui Agnum assum cum lactucis manducat? Tho. Kemp. Qui Christum in cruce passum dolenter considerat, dum ad Sacram conc. 32. accedit Synaxin: *Intinge buccellam tuam in aceto; hoc est, in com- Ruth. 2. 14. memoratione Passionis Christi. Ita Hugo Carensis hic. Hugo Carensis hic.**



CON-